



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Præbendis. Consilium CCLII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

jure colligantis, etiam intra mensem, nulla facta mentione litis pendens super beneficio in petitorio. ⁷ Iam verò indubitatum est, cum, qui beneficio, cui semel per resignationem etiam ex causa permutationis renuntiavit, quoquo modo ingerit, aut possessionem illius sua auctoritate vel ingreditur, vel retinet, vel continuat, pro isto haberi, *6. Cum dilecti. De purgat. canon. Paul. Paris. cons. 143. Quod terminus in 18. vel. 4. nisi novam collationem aut iudicis declarationem obtriverit; cum, ut ante dictum est, per resignationem resignans amittat ius, titulum, & possessionem tam naturalem quam civilem in resignato beneficio, Rota decis. 399. alias est 7. nota quod beneficia De rer. permut. in antiq. & decis. 67. alias 2. nota quod resignans De renunt. in novis.*

In concursu itaque tam multarum prærogativarum circumstantiarum, & præsertim quod impetrans nullam possessionem in hoc Canonatu post dictam resignationem habuerit, nec de spolio antecedentis possessionis (quæ per spontaneam resignationem amissa & resoluta fuit) conquiri possit, & indubitata fuerit possessio D. Guilielmi, illamque Opponens ex suo iusto titulo continuaverit, & ad hanc rem admissus sit; existimamus Amplissimorum Dominorum officium esse, ut retractatâ sententiâ recedentem plenum possessorium Opponent, cum condemnatione Actoris in expensis, adjudicent.

De Præbendis.

SUMMARIUM.

Possessorium ex indulto nominationis Universitatis Lovaniensis & ordinaria collatione.

1. Nominationes ex causa studij favorabiles & extendenda.
2. Beneficia qualificata non possunt haberi nisi à qualificatis.
3. §. 10. Clausula decreti irritantis potestas.
4. 6. Titulum non præbet acceptatio beneficii notorie nulla.
7. Spoliato obijci potest defectus tituli notorius.
8. Clausula, nisi de verbo ad verbum, quæ sit vis.
9. Clausularum revocatoriarum coarctatio & potestas.
11. Nominationes an extendantur ad beneficia iuri patrimonialis.
12. Indigno scienter conferens privatur eâ vice iure conferendi.

CONSILIUM CCLII.

PERPLEXA satis est, causa, possessoria, quæ in Concilio Flandriæ pendet, inter M. Laurentium Pontanum Impetrantem & M. Remigium Drutium Opponentem super Canonatu & præbenda Collegiata Ecclesiæ Beate Mariæ Brugensis, quæ novissimè per mortem M. Ioannis Perret vacavit. Difficultatem faciunt duæ Bullæ Sixti Papæ quarti, ex quarum compositione & coniunctione exoritur debatio, utrâ earum præponderet; eod quod utraque clausulis admodum præroganti-

bus, & potissimum derogatorijs instructa sit. Nam Impetrans nititur Bulla Sixtina, quæ Universitati Lovaniensi concessum est ad quorumvis Collatorum in patrimonio Principis Belgij collationem, unum ex promotis in Universitate Lovaniensi nominare: Opponens verò se fundat ex ejusdem Sixti indulto, quo per suppressionem cujusdam Cappellani erecto hoc Canonatu concessit Præposito dictæ Ecclesiæ illius collationem cum privilegio, ne per quamcumque gratiam Apostolicam expectativam impediri possit ejus collatio.

Nam, quamvis Nominationes hujusmodi studiorum causa concessæ latissimè pateant; quia non jure privilegij, sed gratiæ censentur, ac propter favorem studiorum extendenda magis quam restringenda sint, *6. Si super gratia de off. delegat. lib. 6. Ias. in l. falso C. de divers. reser. & pragmat. juris.* Iam latè tamen patere non videtur, ut comprehendant etiam beneficia alijs reservata, aut quæ alijs qualitatibus ex fundatione, consuetudine, aut statuto sunt affecta; debent enim hæc illis, quibus reservata sunt, aut qui illam qualitatem habent, *6. Cum in Ecclesia De præben. lib. 6. puta si sacerdotalis ex fundatione, aut ordinatione sit Canonatus, non poterit per nominatum sic minime qualificatum acceptari, cap. Cui de non sacerdotali De præben. lib. 6.* Quod in proposito potissimum obtinere videtur; tum quod indultum dicti Præpositi quinque mensibus Bullâ nominationis sit posterius, *1. Divus §. licet De iure codicill. l. Pacta novissima C. de pact. ** tum propter clausulam derogatoriam, quæ nominatum etiam derogare videtur Nominationibus Universitatum & studiorum; tum denique propter clausulam decreti irritantis, quæ alterius gratiæ vim & potestatem resolvit, aut saltem quoad hunc Canonatum suspendit. Decreti enim irritantis ea potestas est, ut quicquid sit in contrarium, sit nullum, efficiatque etiam ignorantes, *Rota decis. 16. alias est 3. si contra De test. spoliat in novis, Marian. Socinus cons. 67. Eadem die nu. 9. vol. 3. ad d. ut ne coloratum quidem titulum pro sustinenda possessione in contrarium acquiri patiatur: I quia acceptatio beneficii notorie nulla, possidendi nullum colorem tribuit, Lud. Rom. consil. 483. dubitatur primo nu. 14.*

Ceterum re pressius perpensa, potiore jure niti nobis videtur gratia Nominationis, quæ generaliter & indistinctè omnium Collatorum manus constringit, donec nominato fuerit provisum; sic ut adversus Pontificiam hujusmodi affectionem & ligationem intra tempus in indulto nominationis præscriptum ab Ordinario facta collatio, cum illi parere debeat, sit nulla, *6. si beneficia, cap. si postquam de præben. lib. 6. Cardin. Zabarell. cons. 104. Post redditum: præsertim propter vim decreti irritantis, quod itidem eidem indulto insertum est. I illius enim potestas, ut diximus eod pertingit, ut nullo juris adminiculo fulciatur Ordinarii collatio tempore præscripto in contrarium facta, Rota decis. 257. alias est 7. si quis de probat. in novis; I sic quod titulus ex ordinaria collatione, etiam si acceptatione nominati anterior sit, prius sit incoloratus*

& ex eo in possessorio iudicio obtineri nulla ratione possit, *Petr. Rebuff. ad consil. Regias de caus. benef. possess. art. 1. gloss. unica*; sed Opponentem obstat notorius defectus tituli: *† qui defectus etiam in interdicto recuperandæ possessionis spoliato potest obijci, Ioan. de Imola in cap. cum Ecclesia Sutrina de caus. poss. & propr.*

Nec ad rem facit subsequens reservatio seu privilegium Præposito concessum: nam cum illa generalis sit, extendi non debet ad ea, quæ specialem rationem habent; hoc est ad ea, quæ pro communi Reipub. utilitate disposita & concessa sunt: qualis est hæc nominatio, ut Ecclesia literatis hominibus, quibus admodum indiget, ornetur, *c. cum ex eo De elect. lib. 6. & ibi Ioan. Monach. & studia amplientur, propositis huiusmodi præmijs. † Quæ etiam causa est, cur Pontifex in dicta Bulla nominationum tam præcisas derogationum ad omnia præterita & futura inferi voluerit clausulas; ut contra eum nullus possit inutiliter provideri per litteras Apostolicas non facientes plenam ac expressam & de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; non obstante qualibet Sedis Apostolicæ indulgentia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat. Hæc enim clausula tam prægnans est, ut quia in posteriori atque contrario indulto dicti Præpositi, nominatim non est facta mentio istius prioris Bullæ aut Universitatis Lovaniensis, nil videri possit derogatum gratiæ nominandi. Quemadmodum in simili tradit Cynus, in l. unica c. Quando imp. inter papill. & vidualas, & c. si Monialibus aliquibus concessum sit, ne teneantur ad collectas, quod etiam non teneantur ad collectas Cardinalium, etiam si in privilegio Cardinalium sit clausula derogatoria aliarum in contrarium facientium; adiectis etiam his verbis, etiam si de ipso fieri deberet mentio specialis: quia in concessionibus generalibus non veniunt ea, quæ Papa verosimiliter concessurus non erat, *cap. ult. de off. vicarij lib. 6. † Vnde traditum est, quod velut ad trutinam verba privilegiorum eorumque proprietates expendenda sint; & in proposito coacervatio illa clausularum, & præcisæ denegatio derogandi eo tendit, ut priori gratiæ stetur, quamdiu ei in ea forma, quâ concedens voluit, derogatum non est: ut in similibus terminis consulendo eleganter deduxit Cardinalis Zabarella, consil. 136 redemptoris.**

10 Quamobrem nihil etiam operatur clausula decreti irritantis indulto Præpositi inserta: quia ejus effectus ad hanc gratiam antecedentem non pertingit, cui Pontifex derogari noluit, nisi certâ formâ verborum, *cardin. d. consil. 136. nu. 8.* Nam et si Papa manus sibi non liget per quæcumque indulta, *c. vadium c. Quamvis de præben. lib. 6.* adiectio tamen huiusmodi clausulæ facit, ut Papa non præsumatur in dubio voluisse à prioris voluntate recedere, nisi eum modum recedendi, quem sibi præscripsit, seruet, *c. Cum ordinem de rescrip. Innoc. in c. Significantibus De off. deleg.*

11 Pariformiter impedimentum non facit, quod in ipsa fundatione & erectione huius Canoniciatus sit reservata collatio soli Præposito: nam licet per Pontificia indulta, etiam quibus prægnan-

tissima derogatoriæ & derogatoriarum derogatoriæ clausulæ insertæ sunt, non censeatur derogatum ordinationi & iuri fundationis; ideoque virtute Nominationum acceptati non possint beneficia, quæ pertinent ad ius patronatus aliqujus, *c. 2. De præben. lib. 6. c. Cum dilectus De iure patron. id tamen generaliter verum non est, sed obtinet tantum in fundationibus, ordinationibus, & iure patronatus laicorum, non etiam Ecclesiasticorum, d. cap. 2. Doct. in d. c. Cum dilectus; qualis est ista fundatio, erectio, ac reservatio facta clerico sacerdoti in dicta Cappellania suppressa, & quoad ius conferendi in favorem ipsius Præpositi etiam Ecclesiasticæ personæ, not. in c. dilectus De offic. legat. Steph. Bertan. consil. 104. Legatus de latere vol. 8. malus enim imperium in hos sibi vindicat Pontifex. Vnde generaliter traditum est, Nominationes Universitatum rectè dirigi patronis Ecclesiasticis, *Petr. Rebuff. in tract. Nominat. quæst. 8. nu. 21. & 22.**

Sed nec obstat, quod dicitur de affectione & speciali conditione huius Canoniciatus; quasi debeat uni ex ijs, qui in dicta Ecclesia in minoribus prius deserviverunt; uti videtur ex Bulla Martini, quæ multis annis antecedens Cappellanas dictæ Ecclesiæ sacerdotibus servitoribus Ecclesiæ affecit; sic ut in locum unius Cappellaniæ per ejus suppressionem surrogatus hic Canoniciatus, ejus naturam in eo saltem retinuisse videatur, *Nicol. Everardi Præses in loco à vi surrog. Nam si ve id verè dici possit, si ve non, potior semper est causa Impetrantis; tum quod ipse sit sacerdos, & sic magis qualificatus quàm Opponens, qui clericus tantum existens, aspirare non potest ad præbendam sacerdotalem, d. c. Cui de non sacerdotali, velin. inc. Cum accessisset nu. 17. De consil. tum quod ea consideratio ad hanc Præpositi collationem accommodari non possit; † ob id, quod ab eâ formâ recedendo jure suo saltem hac vice exciderit, conferendo scienter suo consanguineo notoriè indigno, hoc est sic non qualificato, ut requirit beneficii conditio, *c. Cum in cunctis §. fin. De elect. c. Cum singula §. prohibemus De præben. lib. 6. c. Postulatus c. Apostolica De cler. excommun. ita ut vel ex hoc solo non possit ex dicta collatione prætexere coloratum titulum. Quem cum ex dicta nominatione coloratissimum, imò iustum habeat Impetrans, merito obtinere debet in hac possessoria causa.**

De Præbendis.

S V M M A R I V M.

Possessorium ex indulto nominationis Universitatis Lovaniensis.

Nominatus an acceptare possit beneficium, quod nominationis factæ tempore jam vacabat.

1. Verba futuri temporis etiam ad præsens & præteritum pertinere.
2. Vacaturum etiam dicitur quod iam vacat.
3. Mandatum de vacaturo beneficio extenditur ad id quod etiam prius vacavit.
4. Gratia de vacaturo beneficio est otiosa, seu in vacante.

CON.